

3^o Nemo tenetur cum periculo vitae aut honorum extrahere alios a peccatis, a quibus possunt ipsi se liberare per Sacramentum Poenitentiae aut contritionem perfectam, etiamsi in periculo vitae versentur: secus autem, *per se*, si iudicetur, difficulter eos posse actum contritionis elicere (14). — S. Lig. et alii communiter.

4^o Non licet tibi subire periculum proximum peccandi, ut peccatum alienum impedias, quando lapsus tuus appareat quodammodo certus; secus, si periculum istud fieri possit remotum, ita ut merito confidas non te lapsurum esse (15). — S. Lig. *Hom. apost.* n. 14.

5^o *Probabilius* in iis, quae necessaria sunt vitae, sibi praeferre licet aequalem aut inferiorem, imo est actus heroicus charitatis, modo ob Deum fiat. Excipe, si ille, qui se exponit, necessarius sit Reipublicae aut familiae suae. — Ita Suarez. — Laymann, etc... contra *alios*.

223. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An sit contra Charitatem sibi mortem optare ob vitae infortunia?*

Resp. 1^o *Neg.*, si fiat ex desiderio vitae melioris, seu aeternae felicitatis, ut perspicuum est.

Resp. 2^o *Affirm.*, si fiat ex taedio vitae, vel ex animi deiectione. Non tamen peccant, qui mortem cupiunt, quando vita tam molesta fiat, ut ipsa morte durior aestimetur. — S. Lig. n. 30. — Secus, si fiat levi quavis de causa, etsi non graviter, nisi quis vellet divinae Providentiae ordini contraire (16).

(14) Necessitas succurrendi quibusdam morti proximis sive ex morbo sive ex gravi vulnere non profluit potissime ex difficultate eliciendi actum contritionis; nam fideles utut rudes et peccatis demersi satis norunt sese ad Deum ex toto corde convertere, nec gratiae divinae auxilium opportunum illis deest: subest potius periculum, ne in illis angustiis mente ad alia distractos sopor letalis ac mors praeripiat, antequam de animae salute quidpiam cogitent.

Potior et facile etiam extrema urgere poterit necessitas, quando periculum impendit deceptionis, quae non pendet a sola eorum voluntate qui decipiuntur, v. gr. si haeresis magister alicubi errores suos diffundat, etc. Hinc si qui sint, qui diebus hisce nostris prudenti, ut aiunt, silentii oeconomia utantur, ne malorum odium subeant, isti sane huius obligationis obliti penitus videntur.

(15) Licite proinde leguntur et tractantur materiae periculosae sive ab iis, qui animas curare, uti sacerdotes, sive qui debent corporibus mederi, uti medici. Itemque licite periculum subeunt hi quidem in feminis medicandis, illi in excipiendis confessionibus. Vid. S. Alphonsum (lib. 2. n. 26. et lib. 5. n. 63.), qui immo ex communi sententia docet (lib. 6. n. 453.), interdum etiam obligari quempiam posse ad opus charitatis, cum lapsus alioqui sit valde probabilis, si proximus in extrema necessitate spirituali versetur. Dei quippe, qui proximo tunc succurri iubet, prudenter auxilium adhuc speratur.

(16) Agitur hic de mortis desiderio inefficaci dumtaxat, quatenus mortem sibi a Deo immitti quis optet aut etiam roget. Salmantienses (Tr. 20. cap. 13. n. 46.) culpa gravis id damnant, quia (iniquum) vitium timiditatis et pusillanimitatis est velle vita carere ob vitanda mala minoris

QUAER. 2^o *An sit contra Charitatem malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere ob bonum finem?*

Resp. 1^o *Neg.*, si debitus ordo Charitatis servetur, id est, si fiat ob maius bonum, vel ob minus malum (17). Hinc id licitum est, 1^o ob bo-

momenti. At enim ubinam gravis in pusillanimitate culpa, nisi quis inde ad grave frangendum praeceptum impellatur? Ubi autem grave praeceptum reperies, ne Deum rogem, ut me a mundi miseris eripiat? Si ergo levi causa impellar, erit demum actus impatientiae, quae ex genere suo levis est. Et cum praesentem cum futura vita velle commutare per se non sit contra ordinem charitatis, impatientiae utique et pusillanimitatis, non vero violatae charitatis alicuiusmodi culpam habebimus.

(17) Hinc petendam esse veram et unicam causam, cur damnatae ab Innoc. XI. fuerint Propp. XIII., XIV., et XV., satis nunc fuerit allegasse auctoritatem *Vivae, Cardenas et Duarte*, qui de damnatis thesibus ex professo tractaverunt. Sic illae propositiones se habent: XIII. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristiari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolumentum.* — XIV. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.* — XV. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas.*

De his *Viva* (n. 12.): *Ostenditur falsitas: quia ordo charitatis postulat, quod vita proximi praeferatur emolumento temporali proprio... Ergo charitatis ordo pervertitur, si mortem proximi appetamus, aut de ea gaudeamus propter nostrum temporale emolumentum; eo quod hisce affectibus nostrum emolumentum praeferatur vitae proximi, quae est in ordine longe superiori; ut proinde perversio ordinis non possit dici levis, nec possint huiusmodi affectus gravi culpa vacare.* Et n. 20.: *Si filia delectaretur de parricidio inculpabiliter commisso, ne vexetur amplius a patre, qui volebat eam prostituere, et ad peccandum impellebat, excusari posset talis delectatio a fine et bono spirituali, quod longe praestat, quam vita patris. At pinguis hereditas non praestat vitae patris; et ideo citra mortale nequit filius de parricidio inculpabiliter patrato delectari ob ingentes divitias ex hereditate consecutas.*

Duarte vero (*Brev. Expos. Propp. damn.* n. 207. 208.): *Ratio est, quia ordo charitatis postulat, ut vita proximi praeferatur emolumento temporali proprio, immo exigit, ut ad illam conservandam succurramus pauperi etiam de necessariis statui; ergo etc... Ex quibus sequitur, quod si filius mortem patri exoptet, aut de ea gaudeat, vel si gaudeat de parricidio a se in ebrietate commisso ob hereditatem captandam, non solum peccabit mortaliter contra charitatem, sed etiam contra pietatem, etc.*

Demum *Cardenas* (part. 4. diss. 10. n. 20.): *Non licet optare mortem proximo propter bonum levioris momenti. Sed qui optat mortem proximi... propter quaecumque emolumentum temporale, aut propter pinguem hereditatem adeundam, desiderat illi malum propter bonum levioris momenti. Ergo mortaliter illicitum est. Quam doctrinam*

num spirituale proximi ipsius; 2^o ob bonum commune, vel spirituale, vel temporale; 3^o ob bonum etiam plurium, multo maioris momenti, v. gr. familiae, communitatis, etc. — S. Lig. n. 30. — Caeterum talia desideria in perfectiora commutari facile et utiliter possunt (18).

Resp. 2^o Affirmative, quando charitatis ordo pervertitur. Hinc non potest uxor desiderare mortem mariti, ex eo quod iniuste ab eo male tractetur, nec filiae suae, quia ob deformitatem vel paupertatem nubere nequit (19). Constat ex damnatione propositionum 13^{ae} et 14^{ae} ab Innocentio XI. — S. Lig. n. 30.

PUNCTUM II. — *De praecepto Charitatis erga inimicos (20) in particulari.*

Datur praeceptum etiam inimicos diligendi (21). Constat ex verbis

deinde (ibid. n. 27.) applicat etiam Prop. XV. quoad filium, qui gaudeat de parricidio a se in ebrietate patrato, etc. Cf. notam ad n. 172.

(18) Quod perfectius videri queat desiderium, ut impii convertantur, id non efficit, ut reprehendendi ii sint, qui ob Ecclesiae et societatis bonum potenti Dei manu eos humiliari aut etiam exterminari cupiunt et enixe rogant; quippe et in hoc verae charitatis in Ecclesiam et proximos virtus ordinatissime exercetur. Proinde Ecclesia quoque in precibus suis modo eorum conversionem, modo perditionem, modo utrumque simul disiunctive a Deo postulat.

(19) S. Alphonsus quoad postremum hunc casum melius mentem suam explicat lib. 5. n. 22., nempe quaestionem esse de matre, quae mere ad vitandam molestiam propriam optat mortem filiae; et ideo rationem reddit, *quia malum matris non praeponderat malo filiae optato*. Non contradicit igitur aliis DD. affirmantibus, in iis adiunctis, in quibus *melior est mors, quam vita amara* (ut dicitur *Eccli. 30.*), et filiam sibi, et matrem filiae licite posse mortem optare et a Deo postulare. Caeterum etiam ad proprias graves molestias vitandas matri profecto licebit, sin minus mortem aut mariti aut filiae exoptare, saltem desiderare et a Deo pe-

tere, ut quomodocumque Ei placeat, semet ab illis angustiis eripiat.

(20) Inimicus intelligitur, qui immerito laeserit, vel odio prosequatur. Laesio autem modo *meram offensam* importat, quando nempe per molestiam voluntati alterius illatam, citra tamen alicuius iuris violationem, animus illius irritatur, et merito ad displicentiam, indignationem, iramque provocatur: modo importat etiam *iniuriam*, quando scilicet agitur non solum contra voluntatem, sed etiam contra ius alterius. Per *meram offensam* charitas, per *iniuriam* iustitia violatur.

Insuper iniuria vel nullum damnum infert, uti, v. gr. si nemine alio praesente cuiuspiam contumeliam dicas, vel detrimentum affert in bonis aut personae aut fortunae. In primo casu debetur satisfactio saltem ex iustitia vindicativa, et in foro externo datur ipsi actio iniuriarum: in altero debetur laeso etiam restitutio, adeo ut in foro externo detur ipsi tum actio civilis ad suum recuperandum, tum actio criminalis ad vindicandum scelus.

Et haec quidem sedulo et accurate distinguenda sunt, ne Confessarius indiscrete tamquam necessarium plus aliquid a poenitente exigat, quam praeceptum charitatis erga inimicos reipsa postulet.

(21) Hoc praeceptum non specialem aliquam dicit obligationem erga inimicos.

Christi, *Matth. 5. 44: Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros*. Et ibid. 6. 15: *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*.

224. **Regulae.** — *Prima.* Debentur, *per se*, inimicis eadem signa dilectionis, quae aliis eiusdem status praestari solent (22); quia eorum denegatio esset actus vindictae et manifestatio odii, quod Charitati adversatur.

Dixi *per se*, quia quandoque adest rationabilis causa ad tempus ea denegandi, v. gr. ratione debitae correctionis, boni effectus in filios vel inferiores, vel ob timorem prudentem rixarum ex conspectu vel conversatione inimici; etc... item ob expressionem iusti doloris ex iniuria concepti, etc.

Secunda. Non debentur, *per se*, inimicis signa specialis dilectionis, v. gr. eos aegrotos visitare moestos consolari, hospitio vel convivio recipere seclusa ratione scandali, etc. (23).

Quinimo *ut inimici diligantur, in quantum sunt inimici, hoc est perversum et charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius*, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 25. art. 1.), qui addit (ibid. ad 2.): *In quantum sunt inimici, ... hoc debemus in eis odio habere; debet enim nobis displicere, quod nobis sunt inimici*. Praeceptum itaque hoc unice importat, *ut aliquis diligens Deum et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat*, ut idem inquit S. Thomas (ibid. o).

(22) Appellari haec solent dilectionis signa communia, quae tamen diversa sunt, prouti diversa coniunctionis ratione quidam inter se devinciuntur. Hinc alia sunt signa communia, v. gr. inter fratres, aut inter eiusdem monasterii seu collegii alumnos, alia inter confamilios, aut condiscipulos, alia inter concives, aut commilitones, alia demum quae homo cuilibet homini ex charitate debet. Dixi *ex charitate*; nam reliquae dilectiones, quae ratione aliarum coniunctionum debentur, ad virtutem theologicae charitatis non pertinent, nisi quantum earum actus non secus ac aliarum virtutum moralium, a charitate possunt imperari. Vid. S. Thom. *de Virt. q. 2. art. 9. 10.*

A communibus autem dilectionis signis sedulo distinguenda sunt *specialia*, quae a S. Thoma (3. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 1.) dicuntur *beneficia amabilia*, et particulariter exhibentur aliquibus personis ratione cuiusdam coniunctionis seu amicitiae aut familiaritatis, quae non est ad omnes eiusdem alioquin conditionis (S. Thom. 1. c. in corp.). Sic non modo inter homines, nullo alio caeteroqui vinculo constrictos, sed etiam inter consodales cuiusvis communitatis seu coetus seu collegii, fere contingit, ut quispiam uni amicior aut familiarior quam alteri existat.

Probe vero notandum est discrimen, quod inter *communia* et *specialia* dilectionis signa intercedit. Cum enim specialis amicitiae coniunctio ultronea et libera voluntate suscipiatur, exinde beneficia amabilia non ex debito, sed ex liberalitate procedunt, ut ait S. Thomas (1. c. ad 1.): contra vero communia dilectionis signa ex debito procedunt, quod conditionis seu status necessarium est consecrarium.

(23) Apposite S. Thomas (*de Virt. q. 2. art. 8. o*): *Cum ad inimicum nulla alia unio nobis remaneat, nisi sola unio charitatis, ex necessitate praecepti tenemur eos diligere* IN COMMUNI. Atque hoc ita mox explicat: *Tenemur affectu*

Tertia. Non modo offensa inimico condonanda ita est, ut iniustae vindictae desiderium abiiciatur, et communia dilectionis signa non negentur; sed veniam petenti, et congruam iniuriae, si qua intercessit, satisfactionem exhibenti particularia quoque specialis dilectionis signa quaedam, si quae prius dari solebant, generatim loquendo non sunt omnino abnuenda (24). — S. Thomas, 3. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5., et S. Antoninus, Part. 2. tit. 8. cap. 2. §. 6.

225. *Quaesita.* — QUAER. 1^o *An liceat poenam publicam optare inimico, imo et eam expetere?*

Resp. Affirm. per se, si absit omnis vindictae affectus (25); sed in

et effectu charitatis, quo omnes proximos diligimus et pro omnibus oramus, non excludere etiam illos qui nulla nobis speciali constrictione coniunguntur, ut puta illos qui sunt in India vel Aethiopia.

Ex quibus patet, inimico deberi solum dilectionem in communi; hoc autem exigere, ut a communibus dilectionis effectibus non excludatur. Porro ratione status seu conditionis et officii contingere potest, ut quispiam indiscriminatim infirmos visitare, eisque inservire, aut peregrinos excipere mensa et hospitio, etc. debeat. In hac ergo hypothesi haec iam essent signa dilectionis communia, a quibus inimicum excludere non liceret. Secus dicendum, quando haec charitatis officia ultro erga aliquos suscipiuntur. Tunc enim inimico haec praestare (nisi forte in necessitate versetur) non ad praeceptum, sed ad perfectionem charitatis pertinet. *Cum enim* (inquit S. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8.) *ex charitate diligatur proximus propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit nulla inimicitia impediende: sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios eius amaret, etiam inimicos sibi.*

(24) *Negare homini signa familiaritatis, quando necessitas expeteret, esset vindicta; vel etiam quando ve-*

niam peteret, vel quando se ille, qui hostis habetur, ad familiaritatem ingerat...; quia tunc diligit, et inter amicos deputandus est. S. Thomas (3. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5.). Verumtamen cum agatur de speciali amicitia seu familiaritate, quae sicut libere admittitur, ita et retinetur libere; ad rem Petrus de Lorea (In 2. 2. q. 25. n. 27.): *Si titulus* (praestandi nempe dilectionis signa) *sit solum specialis amicitia et familiaritas, quam aliqui voluntarie intra se contrahunt, non debetur inimico; haec enim est specialis dilectio, et potest dissolvi, non solum si amicus fiat inimicus, sed etiam si non fiat: quare nemo tenetur eam amicitiam conservare.* Non ergo semper necessario exigenda est pristinae huiusmodi amicitiae ac familiaritatis redintegratio, neque dure agendum cum eo, qui aut imminuere aut etiam nullam retinere velit specialem familiaritatem cum eo, quem defuisse amicitiae officio expertus est.

Et sic intelligendus videtur S. Alphonsus, qui (lib. 2. n. 28.) dicit, specialia amoris signa praebenda, *si prius consueveras inimico peculiaribus signa exhibere; ut Tournely cum Suar. Bonac. etc.* Et reipsa Collet hanc doctrinam tribuit Suarezio, Bonacini, et Koninek: sed minus ad rem, quia isti DD. nihil tale habent.

(25) Ita S. Thomas (2. 2. q. 108. art. 1.): *Si eius intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam su-*

praxi hoc periculosum est, et hallucinationi facile obnoxium, ut advertit S. Lig. n. 29.

QUAER. 2^o *Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?*

Resp. 1^o Qui alium offendit, debet prior, per se, media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis aequitas.

Resp. 2^o Si offensio sit mutua et aequalis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inaequalis, praeceat qui gravius offendit. Caeterum absolutae regulae assignari nequeunt, sed circumstantiae spectandae sunt. — Ita communiter.

QUAER. 3^o *An detur obligatio inimicum obvium salutandi?*

Resp. Neg. per se, quia salutatio et colloquium non sunt signa communia proximo debita (26). Secus tamen dicendum est, si adiuncta status, conditionis, aliave similia postulent, ut omnes indiscriminatim sese salutent, vel agatur de subdito erga superiorem suum. — S. Lig. n. 28. — Sporer, etc.

QUAER. 4^o *An offensor a laeso veniam petere debeat?*

Resp. Affirm., per se, nisi aliud medium vel modus reconciliationis

mit, et ibi quiescat, est omnino illicitum... Si vero intentio... feratur principaliter in aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius et quietem aliorum, et ad iustitiae conservationem et Dei honorem, potest vindictio esse licita, etc. De hoc argumento S. Alphonsus (lib. 2. n. 29.) scribit: *Hinc adhaereo Antoine, quod practice loquendo nunquam liceat expetere punitionem inimici etsi iustam et legitima auctoritate faciendam.* At non ita rigide reipsa loquitur Antoine, utut alioquin rigidissimus. Verba Antoine sunt ista (*De Char. c. 2. q. 3.*): *Nunquam licet expetere punitionem inimici etsi iustam et legitima auctoritate factam, quatenus eius malum est: nam hoc est actus odii nunquam liciti.* Contra vero haec praemisera (ibid. q. 2.): *Adversus illum* (inimicum) *licet instituere actionem tum civilem, tum criminalem, modo id non fiat ex odio, vindicta, aut alio pravo fine: civilem quidem, ut damnum illatum compenset, vel pro iniuria satisfaciat;*

criminales vero ex amore publicae iustitiae ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum reipublicae damno.

(26) S. Alphonsus (lib. 2. n. 28.) fatetur iuxta communem sententiam, te non teneri ad salutandum inimicum. Aliquam tamen obligationem tum salutandi, tum quaedam alia specialia dilectionis signa inimico exhibendi, etiam praeter casum necessitatis sive spiritualis sive corporalis, admittit cum aliis, quando id necessarium videatur 1^o ad cavendum scandalum, ne scilicet inimicus ad iram atque odium magis concitetur; 2^o ad fratrem lucrandum, animum nempe illius tibi et Deo reconciliandum. Addit tamen, hanc obligationem gravem non esse, quae proinde urgeat cum gravi incommodo. Et cum eiusmodi actus in offenso haud modicam difficultatem fere praefereant, haec obligatio non videtur valde urgenda. Addit (l. c.) S. Alphonsus aliam exceptionem, nempe si inimicus sit Superior. Sed huc forte id non pertinet; quia salutatio, eum de Superiore agitur, non est signum speciale.

magis conveniens suppetat, v. gr. varia officia aut beneficia praestando, aut nisi ad placandum offensum nihil prodesse veniae petitio videatur. Excipiunt etiam, si offensor offenso longe superior sit, aut si offensus prudenter censeatur id condonare. Sed alia non desunt media offensum placandi. — *Ita communiter.* — Lacroix, lib. 2. n. 189. — Tambur. etc.

QUAER. 5^o *An debeas aliqua signa dilectionis offensori veniam non petenti?*

Resp. Quidam affirmant cum S. Lig.; alii vero negant cum S. Antonino, *Summa*, part. 2. tit. 8. c. 2. §. 6. (27).

226. **Resolves.** — 1^o Non licet inimicos ab orationibus excludere, v. gr. ab Oratione Dominica, imo speciatim pro ipsis orandum esset, si unicuique hoc medium offenso suppetaret ad odium restinguendum (28).

2^o Non licet inimicos excludere a communibus elemosynis, resalutatione (29), responsione, expositarum mercium venditione, quia haec sunt signa communia dilectionis. — *Ita communiter.* Id intellige, re per se spectata, iuxta dicta superius, n. 224.

(27) Ita S. Antoninus (part. 2. tit. 8. cap. 2. §. 6.): *Aut iniuriator exhibet congruam satisfactionem, aut non. Si exhibet secundum quantitatem culpae et possibilitatem suam, sic tenetur eum ad amicitiam recipere et ei loqui... Si autem non exhibet, non tenetur ei loqui, quando scilicet satisfacere aut omnino non vult, aut semiplene.* Et S. Thomas (3. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 5.): *Quod aliquis ultro se ad familiaritatem inimico ingerat, hoc perfectio nis est.*

(28) Cum vix contingere possit, ut ad odium compescendum non aliud medium suppetat praeter specialem pro inimico orationem, proinde vix unquam necesse erit, ut Confessarius id praecipiat. Ad implendum praeceptum orandi pro inimicis satis est, ut hi positive non excludantur, sicut non excludimus Indos aut Aethiopes, ut ait S. Thomas, qui et ista habet (3. dist. 30. q. 1. art. 2.): *Tenetur homo (cooperari), etiam inimico, saltem orando in communi, ut eum a suis orationibus non excludat, quamvis forte mentionem specialem de eo non*

faciat; sicut nec oportet, quod de omnibus, ad quos charitatem habet, specialem orationem faciat, sed communem.

(29) De salutatione adverte sequentia ex Petro de Lorca (2. 2. disp. 25. n. 28.): 1^o *Salutatio et allocutio eodem modo debentur inimicis, quo aliis... nec sunt de generalibus signis dilectionis, quae omnibus hominibus debemus, sed de specialibus: sunt tamen de generalibus inter valde coniunctos, et ideo non debentur nisi coniunctis.* 2^o *Salutatio anticipata nemini debetur, nisi quibusdam personis dignitate praecellentibus, honoris causa.* 3^o *Resalutatio et responsio omnibus hominibus debita est virtute affabilitatis, praesertim concivibus.* 4^o *Omissio allocutionis et salutationis, etiam quando debita est, non est regulariter peccatum mortale: nam opponitur affabilitati, quae non est tantae obligationis, nisi forte ex circumstantia personae et aliis cederet in magnam iniuriam, vel propter scandalum, quod raro fit, et prudentis arbitrio decerni debet.*

3^o Peccant, qui inimicum reconciliari volentem declinant, eo praesertim advertente et graviter sentiente, aut invitati ire cum eo recusant, nisi tamen metu rixarum, aut novi rancoris, vel alia iusta causa excusentur. Item qui veniam recusant, vel satisfactionem convenientem non acceptant, aut maiorem aequo exigunt, vel qui rem in iudicium deferunt ex odio et vindicta; item qui inimico in necessitate non subveniunt (30), aut grave eiusdem damnum non impediunt, cum facile possint, et a fortiori, qui de illius malo laetantur.

4^o Non sunt absolvendi, saltem ordinarie (31), qui quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, nisi id recordationi et

(30) *In necessitate subveniendum est etiam inimicis. Sed hic est magis effectus iustitiae, quam amicitiae.* S. Th. 3. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 1.

(31) Absolvi certe non potest qui peccato mortali adhaereat. Ergo etiam A., dum sententiam suam sic temperat, supponit, gravem culpam in casu abesse aliquando posse. Et sane 1^o Praeter horrorem ex recentis iniuriae memoria, aliasque sup. §. 224. recensitas causas, quae vel a signis communibus praebendis ad aliquod tempus excusant, iam advertimus, neminem teneri ad servandam familiaritatem seu amicitiam, quae admitti vel non admitti pro lubito poterat; contingit imo quotidie, ut eiusmodi amicitiae modo paulatim, modo abrupte, et saepe citra reprehensionem, cessent. 2^o Etsi penitus non desit inordinatus animus et aliqualis iniustae vindictae appetitus, non ideo statim gravis culpae damnandus hic est. Nam sicut mali illatio, ita et mali alieni desiderium admittit materiae parvitatem; et si hoc valet cum iis, qui in nihilo nos laeserunt, a fortiori valere cum inimico debet, qui iniuste laedendo ad iustam indignationem provocavit. Quaestio igitur eo redit, an offensus (sive dicat se condonare sive non) dum quaedam offensori officia recusat, grave aliquod huic malum inferat aut exoptet. Nam si hoc absit, et nulla alia gravia incommoda ex officiis illis offensori negatis timeri queant, utique pro viribus hortandi officio, sed nulla

absolutionem negandi necessitate Confessarius adstringitur.

Et cum hoc temperamento intelligenda videntur ista S. Alphonsi (lib. 2. n. 28.): *Religiosus autem, qui renuerat per notabile tempus, puta post hebdomadam, colloqui cum inimico, merito dicit Sporer n. 34. non esse absolvendum.* Nam ita Sporer (l. c.): *In monasterio monialium duae ex illis post rixam profitebantur..., per multos annos non velle invicem colloqui, et de facto longo tempore non colloquebantur. Dubitavit Confessarius, an eae in statu mortalis peccati versarentur, et idcirco obstinate sic perseverantibus absolutio sacramentalis... deneganda sit, nec ne? Resp. Omnino quod sic: saltem quando causa rixae, vel ipsa rixa gravis fuit. Quia eo casu cessatio loquendi per tantum tempus vel tot annos merito praesumitur ab odio gravi proficisci. Quod si tamen causa rixae, eaque levis fuit, quantum est ex hoc capite significationis odii ac scandali, poterit omissio loquendi a mortali excusari, et veniale reputari. Quia tunc, maxime in feminis, iisque alioquin timoratis, non praesumitur oriri ex odio gravi, sed ex naturali passione muliebri. Quamvis iterum ex alio capite, scilicet veri odii interni... posset esse mortale. Ideoque ego talem post unam et alteram septimanam adhuc recusantem colloqui, non absolverem.*

horrori iniuriae ignosci possit. A fortiori qui asserunt, ne verbum quidem se illi unquam dicturos esse; isti enim animi prave dispositi suspicionem merito iniiciunt.

5^o Non statim arguendi sunt de peccato, praesertim gravi, poenitentes, qui de odio se accusant; saepe enim confundunt odium *proprie dictum* seu *inimicitiae* cum odio *abominationis* seu *qualitatis*, aut *defectus*, vel etiam aliqua tantum animi aversione naturali et invincibili laborant. Cavendum tamen est, ne abominatio *qualitatis*, *indolis*, etc., ad personae odium paulatim sese extendat. — S. Lig. n. 30. — Voit, n. 703.

§. II. De operibus misericordiae.

Opera misericordiae alia sunt corporalia, uti cibum pauperi praestare, nudos operire, etc.; et alia spiritualia, ut peccantes corrigere, ignorantes docere, moestos consolari, etc. Speciatim de duobus tantum dicemus: 1^o de eleemosyna; 2^o de correctione fraterna, prout ad praeceptum Charitatis referuntur.

PUNCTUM I. — De eleemosyna.

227. — *Dico*: Datur vere praeceptum eleemosynam indigentibus erogandi. Constat 1^o ex lege naturali, scilicet ex lege generali Charitatis qua obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad opem illi in necessitate ferendam. Recole supra *de Charitate*, n. 221. — Constat 2^o ex Scriptura sacra. Sic enim *Eccli. 4. 1*: *Eleemosynam pauperis ne defraudes*; et *Matth. 23. 42*: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum... esurivi enim et non dedistis mihi manducare; sitiivi, et non dedistis mihi potum.*

Regulae (1). — I. *In extrema necessitate*, proximo succurrendum est etiam ex bonis *statui necessariis* (2); sic enim exigit rectus Chari-

(1) Generalem regulam tradit S. Thomas (2. 2. q. 32. art. 5.), ut aliquid consideretur ex parte dantis, et aliquid ex parte recipientis eleemosynas. *Ex parte quidem dantis* (inquit) *considerandum est, ut id quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum... Ex parte autem recipientis requiritur, quod necessitatem habeat; alioqui non esset ratio, quare eleemosyna ei daretur.*

(2) Necessaria *statui* seu *decentiae* distinguenda sunt ab iis, quae sunt ne-

cessaria *vitae*. Ita S. Thomas (4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 1.): *Dicitur nobis necessarium aliquid dupliciter. Uno modo, sine quo non potest aliquis esse vel vivere. Alio modo dicitur nobis necessarium, quo indigemus ad honeste vivendum vel decenter secundum statum nostrum, v. gr. more nobilium.*

Et haec distinctio locum habet tum quoad *se*, tum quoad illos, quorum cura cuipiam incumbat. Ita S. Thom. (1. c.): *Utroque autem dictorum modorum*

tatis ordo, cum vita proximi praevalere debeat bono nostro longe inferiori.

II. *In gravi necessitate*, iuxta aliquos propter eandem rationem succurrendum, est proximo ex *bonis aliquo modo statui necessariis*, seu cum modico sui status detrimento. Sed iuxta alios probabiliter ei succurrendum est tantum ex bonis, quae statui seu decentiae superflua sunt (3).

potest aliquid esse alicui necessarium dupliciter, vel ratione sui ipsius, vel ratione eorum, quorum curam gerere debet. Abs re ergo quidam ad necessitatem merae decentiae referunt ea, quae ad alendos et educandos liberos sint necessaria; quin et sustentatio ancillae, quae aut infantes custodiat aut infirmis advigilet, perperam ad meram decentiam revocaretur.

Porro cum superfluum dicatur, quod non est necessarium, proinde etiam superfluum dupliciter dicitur: uno modo quod sit superfluum statui, nempe quo etiam subtracto decentiae status nihil deperit; alio modo quod non sit necessarium vitae, licet necessarium videatur decentiae status. Et ex hoc *superfluo* urget obligatio succurrendi proximo in extrema necessitate, non autem ex vitae necessariis. Ut enim habet S. Thomas (1. c.): *Illud, sine quo non potest esse vel vivere aliquis vel ipse vel illi, quorum curam habet, non debet in eleemosynam expendi.*

(3) Reipsa vix ulla dissensio de hoc fuit inter doctores. Quaestionem enim proponebant, *an in gravi necessitate eleemosyna esset eroganda cum detrimento proprii status*. Porro 1^o quidam, uti v. gr. Valentia (1. 3. disp. 9. punct. 4.) et Bannez (in 2. 2. q. 32. art. 6. dub. 4.) ideo affirmabant, quia de eiusmodi necessitate disserebant, cui subveniri citra proprii status amissionem reipsa posset. Ut enim ratiocinabantur, cum proprii status decentia iuxta S. Thomam (4. dist. 15. q. 2. art. 4. q. 1.) admittat latitudinem,

adeo ut *multis additis homo non excedat status sui conditionem, multis etiam subtractis conditio sui status decenter conservetur*; propterea eleemosyna aut nullum aut *vix aestimabile* (ut ait Laymann lib. 2. Tr. 3. cap. 6. n. 4.) *proprii status detrimentum* affert. Alii contra ideo negabant, quia de illa loquebantur necessitate, ad quam abigendam proprium statum amittere aut certe minuere opus fuisset; merito autem contendeant ad proprii status iacturam neminem teneri. 2^o Qui affirmabant, de necessitate tam gravi disserebant, quae ad extremam accederet, aut huic aequiparanda esset; negantes vero, intelligebant gravem necessitatem, prout late ab extrema distinguitur. Quocirca iure optimo Viva (*ad Prop. XII ex damnatis ab Innoc. XI, n. VIII.*) pro diversa hac *gravis necessitatis* acceptione utramque sententiam et *communiorem* et *sequendam* appellat. Quae tamen *Vivae* doctrina quoad aliquam partem rite intelligatur, oportet.

Namque aliud controversiae caput haec occurrit, circa quod maxime discrepantes reipsa habes DD. opiniones, an scilicet ratio *gravis necessitatis*, quae alioquin ad extremam non vergat, obligationem, et quidem gravem, e superfluis succurrendi certo cuipiam indigenti inducat.

Affirmantem sententiam amplectitur S. Alphonsus (lib. 2. n. 31.), additque, clare eam inferri ex Prop. XII inter damnatas ab Innoc. XI: *Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum*